

Dissertatio medica inauguralis, de ascaride lumbricoide ... / Eruditorum examini subjicit Thomas Doyle.

Contributors

Doyle, Thomas
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Gulielmus Creech, Academiæ typographus, 1804.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qxehh3c8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

9

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ASCARIDE LUMBRICOIDE,

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
THOMAS DOYLE,
HIBERNUS,

SOCIET. REGIÆ PHYSICÆ EDIN. SOCIUS HONORARIUS.

*Quid non adversum miseris mortalibus addit
Natura, interno quum viscere tænia serpens,
Et lumbricus edax vivant inimica creanti?*

Q. SERENUS SAMONICUS.

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDERAT GULIELMUS CREECH, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS,

1804.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

VIRO NOBILI,

HENRICO WELBORE AGAR,

VICECOMITI DE CLIFDEN,

BARONO DE MENDIP, &c.

OB BENEFICIA PLURIMA IN FAMILIAM COLLATA,

HOCCE OPUSCULUM,

STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI GRATISSIMI INDICIUM,

OMNI, QUA DECET, DEFERENTIA,

OFFERT

AUCTOR.

CORRIGENDA.

Pag. 9. lin. 12. *pro* abdormiverunt *lege* obdormiverunt

— 16. *pro* illatura *lege* illaturæ

— 20. — 8. *pro* facient *lege* faciant

— 8. *pro* evadent *lege* evadant

— 22. — 14. *pro* necatos *lege* necati

— 23. — 2. *pro* hac *lege* hoc

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASCARIDE LUMBRICOIDE, &c.

AUCTORE THOMA DOYLE.

VENTRICULUS et intestina humana vermium et insectorum receptacula sæpe fiunt. Hi in duas classes dividuntur.

PRIMA classis vermes complectitur, qui generati in canale intestinali nutriuntur, ibique species suas progignunt.

SECUNDA classis vermes et insecta complec-

A

titur,

titur, qui extrinsecus primas vias fortuito intrant, ibique species suas nunquam generant, sed cito ex corpore expelluntur. Hoc genus sunt lumbricus terrestris, fasciola, gordius intestinalis, et nonnulli alii. Hujus vero classis descriptionem non conabor, quippe quæ ad historiam naturalem magis pertinet, contentus investigatione primæ classis; cum his enim congregiendum est medico.

HÆC classis species quinque complectitur: Ascaridem lumbricoidem, ascaridem vermicularem, trichuridem vulgarem, (hæc species postrema raro in intestinis invenitur, et ab rerum naturalium indagatoribus nuper tantum designata), et duas species tæniarum, altera oscula supra juncturarum marginem, altera supra superficiem complanatam habens. Descriptio harum uniuscujusque singulatim, opus longe ultra limites hujus dissertatiunculæ protraheret. Igitur primæ tantum speciei, seu ascaridis lumbricoidis solius, cogitationem auspicabimur,

cabimur, quippe quæ frequentissime occurrit,
et medici opem efflagitari facit.

ASCARIS Lumbricoides vermis est rotundus, corpore rugoso, cum duabus lineis ad utrumque latus per totam longitudinem extensis. Recenter exclusa pellucida est, at cito colore opaco et flavo evadit. Ejecta brevi moritur. Cursu serpentino progreditur, et hoc ab lumbrico terrestri differt, qui potestatem seipsum contrahendi, denuoque evolvendi habet; at inter movendum, ascaridis lumbricoidis longitudo non minuitur. Caput ex tribus lobis seu vesiculis formatur, quos inter os apparet. Doctor Bailie marem et fœminam vermes distinctos esse scribit *; Doctor Hooper vero se nunquam mares ab fœminis discernere potuisse fatetur †. Longitudo ab novem ad quindecim fere pollices est. Penna anserina non sæpe

A 2 craffior,

* Vide Morbid Anatomy, p. 122.

† Memoirs of the Medical Society of London, vol. V.
p. 237.

crassior, et in pueris quam in maturis, aut ætate provectioribus frequentior inventa. In tenuioribus intestinis plerumque habitat; sed haud raro quoque in ventriculo habitare, et in intestinis amplioribus, secta cadavera satis demonstrant. In aliis corporis visceribus hic vermis quoque detegitur, veluti in pulmonibus, hepate, renibus, liene, pancreate, et etiam in cerebro, ut quidam dicunt. Sed verisimilius est, ut quod pro verme habetur, nihil sit aliud quam sanguis concretus, qui rubris ejus particulis quodammodo dispoliatis, in modum ascaridis lumbricoidis figuratus fuerit. Corpus vero humanum non solum est horum vermium domicilium. In multis enim aliis animantium speciebus, in canibus veluti, tigribus, lupis, porcis, et equis, eruti sunt.

LINNÆUS censet hunc eundem esse ac vermis terrenus; ductus in hunc errorem studio diversa genera contrahendi in unum: quam alte dormivit, structuram anatomicam cuivis inspicienti

spicienti patebit. *Ascaris lumbricoides* ad utraque extrema magis cuspidata. Os ex tribus prolationibus rotundis, et cavitate media formatur. Os vermis terrestris est fissura longitudinalis in inferiore superficie capitis conglobati, et infrà est huic plica semilunaris in quam caput abscondit, denuoque ad libitum protrudit, quæ illi nulla est. Anus ascaridis lumbricoidis per fissuram transversam, et tantum non acuminatam in inferiore facie, haud longe ab extremitate posteriore apparet; terrestris vero in ipsa extremitate per foramen ovale conspicitur. Velamen externum, seu cutis, ascaridis lumbricoidis, minus carnosum est, et minus aspere fulcata rugis transversis. Corpus vermis terrestris ligamine lato albidoque circumdatur, quod in ascaride lumbricoide nunquam observatur. Ad hujus utrumque latus, linea longitudinalis bene designata currit. In illo vero tres lineæ longitudinales, vix aut ne vix notabiles, per superficiem superiorem labuntur. Horum quoque structura interna differt. In ascaride lumbricoide canalis intestinalis uniformis est, et ab

una extremitate ad alteram porrigitur. Contra vero vermi terrestri est ventriculus complicatus, et canalis intestinalis amplior, et in facculos corrugator. Partes procreationi obsecundantes differunt item in his. In ascaride lumbricoide sexus diversi sunt; organa maris alia existentia atque fœminæ. In terrestri nulla talis distinctio apparet, et animal dicitur Hermaphroditus.

FINITA descriptione, me opinionem propriam offerre, de hujus et reliquorum vermium intestinalium genitura, necesse videatur. Sed res tam densa caligine obvoluta, et aliorum conamina gratiam optimam mihi facient. Tantum liceat commemorare, præcipuas theorias et observationes quæ mihi videntur has invalidas reddere. Supervacaneum videtur quorundam philosophorum hypothefin memorare, quæ hæc animalia foras putrefactione generari, et in corpus cum potu, cibo, aliove tali modo hauriri: observationes recentiores demonstrant illos hallucinari,

hallucinari, et quod infecta tantum deponunt ova corporibus putrescentibus, quippe quæ præbent illis nidum pullorum exclusioni aptum, propter calorem tunc temporis abunde evolutum. Hypothesis hodierna hæc animalia in corpore humano procreari ex ovis, una cum cibo potuque haustis, me iudice, æque ac prior rejicienda est. Quomodo enim accideret quod hæc ova, fortuito in corpus accepta, vermes adeo dissimiles producant; et quod iterum singulæ species in unam certamque partem et sibi propriam, perraro aut nunquam alibi deferuntur? Nam ascaridem lumbricoidem et tæniam in intestinis parvis, ascaridem vermicularem vero in magnis invenimus. In forice semper invenimus tæniam, supra jecinoris superficiem in facculo sibi proprio spira contortam. Nunquam incidimus in his similia, extra corpora horum aut aliorum animalium, quod facile colligi poterit, si ex ovis originem duxerint. Si ex ovis generarentur, quomodo explicabimus, quod in aliis visceribus, veluti renibus,

renibus, pulmonibus, hepate et ejus ductibus, cerebro, &c. inveniuntur? Quâ fieri possit quod hæc ova actionem manducationis ventriculi et ejus succi perpeffa, absorberentur a vasis lacteis, et deferrentur per circulationem, uti deposita in viscerum cavitatibus, ex his vermes veluti pulli excluderentur? His adde quod in meconio foetus abortivi vermes inveniuntur*; quod hydatides, si minus in corpore humano, saltem in ovibus, animalia viventia comprobatae, partibus nullum foras exitum habentibus hærentes reperirentur†: et demum quod horum argumenta maxime coarguit, hæc vivipara esse, nam vivos sibi similes ascaridem lumbricoidem producentem invenimus‡. Si aphorismo communi assentiamur, quodque animal ex ovo produci, et si rejicimus

* Audi Prælect. Doctoris Hamilton, art. Obst. Professoris.

† Baillie's Morbid Anatomy.

‡ Aud. Prælect. Doct. Hamilton.—Mr Church, in 2 volumes of the Medical Society of London.

jicimus hypothefin hæc ova extrinsecus introduci, neceffe foret concludere, hæc in corpore vivo generari, et coætanea nobiscum effe, avorum ferie viritim tradita, a quovis patre hæreditatem perpetuam posteris addictam. Huic orationi, quam honesta fit, quantacunque auctoritate nobis descendat, ne citius assentiamur cavendum est. Nam si ita foret, nemo ab his animalibus immunis effe poterit. Aut qui fit, ut ova tæniarum et hydatidum, qui raro ante meridiem vitæ nos adoriuntur, innocua abdormiverunt, hoc proprio ætatis gradu tandem experrectura? Aut si tæniæ primâ infantum ætate exclusæ fuerint, quomodo in horum visceribus teneris innoxia remanserint, bella funesta adultis illatura? Hydatides quoque attentionem nostram sibi vindicant. Ante ætatem in senium vergentem raro adoriuntur, et tunc sæminas præcipue, post cessationem mensium. Sedem figunt in partibus glandulis abundantibus, veluti mammis, utero, ovariis, et testibus in maribus*, et maxime in homi-

B

nibus

* Ut in nosocomio nostro nupè vidi.

nibus cancro obnoxiiis. Si duas priores opiniones rejicimus, cuidam alii origini referendi sunt nobis? Certe non materiæ crudæ inanimatæ in intestinis, fermentatione aut putrefactione in hæc animalia mutatæ. Ergo potius ponamus, vermes ab ipso corpore vivo produci, et portiones vivas esse, ab ipsius diversis partibus formatas. Haud possumus aliter productionem hydatidum exponere. Polypi et alia animalia processu vegetationi simili, non in utero gestatione, foetus producunt. Argumenta hujus theoriæ non tam robore proprio, quam ignorantia nostræ alius generationis modi, et priorum debilitati innituntur. Et quamvis quædam non refellenda objiciantur, tamen quoniam multa haud dubitanda, aut aliter explicanda huic propugnant, ut huic assentiamur, saltem dum theoria quæ minus reprehendatur disquisitioni nostræ offeratur necesse est.

QUANDOQUIDEM ætas, corporis habitus, cœlum, et diæta, homines aggressiõibus vermium

DE ASCARIDE LUMBRICOIDE. 11

mium obnoxiores reddere, ab quibusdam existimantur, hæc quoque indagare necesse fit. In liberis, et his qui nondum pubertatem plenam induerunt, quam in adultis frequentiores deteguntur, præsertim ascaris lumbricoides; aliquando tamen in omni stadio ætatis adoriri observantur.

Qui habitu corporis debili et delicato gaudent, qui aut ob imbecillitatem, aut inertiam, aut ob occupationes sedentarias parcâ exercitatione utuntur, et qui ob hanc causam alvæ adstrictâ, et languidâ sanguinis circulatione laborant, horum impetui opportuniores esse observantur.

VIVENTES in regionibus calidis, humidis, et insalubribus, veluti locis paludosis, mensibus æstatis, illorum viribus obnoxiores sunt, quam qui in circumstantiis contrariis vitas degunt.

DIÆTA ex lacte hos generandi accusatur,

saltem suspicatur, quod in liberis maxime graffantur. Sed magis probabile est, ex aliis causis originem ducere, ut intestinorum laxitate et quantitate humoris glutinosi quo abundant. Aquæ impuræ, frugibus crudis et immaturis, et multis aliis rebus, medici illorum originem referunt. Sed præter has causas, vermes in omni ætatis gradu inveniuntur, in constitutionibus robustissimis, in regionibus temperatis et saluberrimis, et in quibusdam olim et nunc cibo salutari et nutriente, et exercitatione regulari utentibus. Ex quibus omnibus colligere placet, illos ex peculiaritate quadam, et circumstantiis propriis, nobis vero ignotis, produci.

SIGNA VERMIUM.

QUAM sæpe symptomata morbi nos fallant, in hoc genus affectionibus, argumentum optimum habemus. Signa enim omnia sæpissime observamus,

observamus, quæ vermes intestinales commonstrare dicuntur, cum in secto et explorato cadavere ne unus quidem deprehenditur, aut ex vivo et ægro corpore foras expellebatur; et contra, absentibus signis omnibus quæ characterem dant, vermes eliminari observantur. In tanta incertitudine, historiam morbi perfectam tradere, quam arduum sit, apparet. Enumerando tamen symptomata quæ tantum præsentem excitant, raro in errorem laberemur: saltem eo usque perfectionis attingemus quam rei natura permittet. Primum et frequentissimum symptoma est cibi appetentia depravata, quæ nunc nulla, alias vero efflagitantissima fit. Aliquando variat, ut æger quid sibi capiat dubius evadit. Hunc appetitus flatum comitantur aliquis ventriculi dolor et tumor, cum acida eructatione, nausea, et vomitu. Halius foetet, gingivæ tument, lingua sordet, fauces sitiunt, nonnunquam vero salivæ secretio augetur. Abdomen, præsertim post sumptum cibum, tumore tenso, duro, et dolorifico afficitur. Dolent quoque latera. Alvus nonnunquam

nunquam adstricta, plerumque vero soluta, cum torminibus et tenesmo, præsertim si in recto ascarides vermiculares inhæreant. In casibus quibusdam, cruor et materies purulenta, cum mucosis dejectionibus commiscentur. Urina nunc lactea, alias vero pellucida, et cum difficultate et dolore redditur. Morbo aliquandiu perstante, partes aliæ systematis afficiuntur. Facies pallet, oculi hebescent, et pupillæ dilatantur, cum caligatione; et annulus lividus orbitas complectitur. Palpebræ inferiores, labium superius, alæque nasi tumunt. Nasus fere aret, quem æger carpit, dum sanguine fluat: sæpius vero fluidum acre ex naribus distillat, quarum aperturæ minuuntur. Functiones vitales turbantur. Dyspnœâ, tussî ficcâ, lateris dolore, palpitatione et languore æger afficitur. Pulsus frequentior et irregularis fit, cum vi tum temporibus. Dolor capitis diffusus adest, vertigine et tinnitu aurium sæpe comitantibus. Raro dormit æger, aut si paululum dormitet, insomniis terrificis et repentinis saltibus vexatur. In quibusdam

busdam casibus periculosis, vermes, perforis intestinorum togis, itinera in cavitationem abdominis sibi faciunt, convulsiones et alia symptomata perterrefacientia excitantes. Atque ita morbus ejus vires febre lenta, cum vespertinis exacerbationibus, quasi pedetentim subruens, miserum ægrum ad finem optatam perducit. Sæpius vero in epilepsia, aut catalepsia, tetano, chorea Sancti Viti, paralyfi, et aliquando in volvulo terminat. Aut æger remediis propriis, his inquilinis foras eliminatis, sanitatem et vigorem novum recuperat.

DIAGNOSIS.

Ex omnibus signis quæ auctores medicinæ vermium characterem præbentia enumeraverunt, vix unum (his expulsis exceptis), cui pro certo, et erroris expertes, confidere possumus. Doctor Home, in experimentis clinicis, tumorem labii superioris alæque nasi, et aperturas narium contractas, pro certissimis signis diagnosticis

diagnosticis ponit. His aliisque signis attente observatis, hos satis certo ab omnibus aliis morbis dignoscere poterimus. Hic tumor labiorum alæque nasi, in nullo alio morbo, scrophula excepta, observatur; cum hac vero confundi nequit. Horum inter et hydrocephali acuti symptomata distinguere, aliquanto plus acuminis requiret. In alterutro enim observantur dolor capitis et abdominis, oculorum hebetudo, pupillarum dilatatio, dentibus inter somnum frendere, narium vellicatio, &c. Inquirendo tamen in cephalalgiae sedem et symptomata alia, diagnosin certam formare possumus. In hydrocephalicis enim dolor primo ad junctionem cervicis cum occipite per sentitur; hinc in alias capitis partes transit, ut tempora, frontem, verticem, &c. Acutissimus est, et indefinenter miseros vexat. E contra vero in verminantibus dolor per totum caput magis diffusus et obtusus, et identidem intermittit. In hydrocephalicis appetitus fere semper deficit, cum vomitu singulis aut alternis diebus: alvus pertinaciter adstricta, abdomen tumore

et dolore caret. Vermiculorum alvi solutæ sunt; abdomen tumidum est, et pressu dolet. Hydrocephalici sub initium lucem admotam ægre tolerant; durante morbo, hæc lucis sensibilitas nimia omnino in vitium contrarium vertitur; pupillæ dilatatæ strabismo afficiuntur, bidentes evadunt, et tandem densa caligine plectuntur. In vermiculatis quamvis dilatentur pupillæ, oculi haud lucis impatientes sunt, nec unquam visus duplicatus, strabismus, aut cæcitas inducuntur. In hydrocephalo nares aridæ tantum sunt, sine ullo tumore labii superioris, alarumque nasi. At ex vermiculorum naribus fluidum acre distillat, quod labrum superius et alas nasi tumere facit, et prurigne perpetuam vellicationem excitat. In illis calor corporis idem est in hujus morbi stadiis omnibus; etiam in secundo, quando pulsus tardior est. In his vero, corporis temperies pulsus celeritatem pro rata parte æquat. Illi non convelluntur nisi instante morte; at hi sæpissime, præsertim si parvuli aut juniores sint. Vermiculati quoque dentibus frendent;

hydrocephalici nunquam, nisi conjungerentur vermes. His attente collatis, perraro hos morbos discernere non poterimus. Nobis vero in errorem lapsis hoc saltem folatium præbebit, quod hydrargyri preparationes, tantis laudibus in curando hydrocephalo elatæ, in eliminandis vermibus vires haud inferiores possident.

QUÆ vermium species adfit vix aut ne vix quidem cognosci potest, omnes enim species eundem simul sæpissime infestant. Tænia quâdam insolitâ volutione in diversis abdominis partibus, ejectione per anum quorundam corpusculorum albidorum memordicæ elaterii femina referentium, vultu pallido et macie confecto, comitatur. Innocua vero in intestinis aliquandiu sæpe latitat.

Quod adsunt ascarides vermiculares, pruritu molesto circa anum noctu præsertim aucto, tenesmo et dejectionibus mucosis scimus. De sanitate generali multo minus deterunt aliis speciebus, et sine suspitione mortis acceleran-

dæ

dæ per longam vitam in corpore diverfantur. Præterea magis sub potestate remediorum sunt, quippe quæ recti partem inferiorem incolunt; ergo aliis speciebus faciliores sunt eliminatu.

PROGNOSIS.

QUANDOQUIDEM ex ascaride lumbricoide præcipue consecutiones perniciosissimæ timendæ sunt, animos nostros in symptomata hanc indicantia intendere nos oportet: ut hæc tempestivo usu remediorum idoneorum, si minus omnino tollere, mitiora saltem reddere possimus. Si sanguis dejectionibus appareat aut evomatur, cur timeamus, causa maxima est nobis. Si alvi dejectiones largæ sint, et pure commistæ, licet nobis conjicere togas intestinorum, peresas et exulceratas, febrem hecticam inducturas, cito lethalem evasuram, si non remediis idoneis viribus corruentibus succurrere possimus. Irritatione sua epilepsiam excitant, quæ consuetudine sola maneat, etsi

causa ejus omnino auferatur. Febris intermittentis quoque causam præbent, quæ, nisi his expulsi, sedari nequit*.

VERMIBUS, aut mortuis, aut vivis, remediis, quæ adhibuimus ejectis, prognosis nostra fausta fit; aut si retenti symptomata periculosa non facient, aut si priora mitiora evadent; si nulla evacuatio copiosa aut debilitas adsit, exitum bonum sperare locus est.

NULLUS alius morbus symptomata tam dubia, aut tam incertæ aleæ nobis præbet; ita ut symptomata infauftissima spes nostras non dirimere debent, nec remediis in nostra potestate positis uti deterrent. Casus enim quorundam ægrorum jamjam moribundorum quotidie narrantur, qui tamen sanitatem recuperaverunt, his, aut vomitione, aut alvo, feliciter expulsi.

CON-

* Vide Hunter on the Blood, p. 411.

CONSILIA MEDENDI.

Quo hunc morbum curemus, oportet,

1mo, VERMES penitus necare, et corpore ejicere.

2do, His necatis et expulsis, ne regenerentur præcavere.

CONSILIUM PRIMUM.

Huc satisfacere variis medicamentis utimur, quæ in tres classes dividere libet. Prima continet medicamenta mechanice agentia: Secunda, quæ chemica vi pollent: Et tertia, quæ vires ex utrisque prioribus compositas exerunt.

1mo. Ex remediis mechanicis, merito laudatissimum est *Stannum Pulverisatum*. Quidam putaverunt hoc chemice agere, pro ratione

tione parvæ quantitatis arsenici, quod cum hoc intime conjunctum esse crediderunt. At huic opinioni quædam observationes recentiores et accuratiores contradicunt; et in experimentis Doctoris Rush *, hos in solutione aquosa oxydi arsenici albi, diutius viventes, quam in aliis fluidis, quæ magis innocua viderentur, invenimus. At his objici poterit, eum vermes terrestres, non ascaridem lumbricoidem, experimentis subjecisse, quorum naturæ inter se diversissimæ sunt. Ut hoc medicamentum aliquid profit, dosibus largis et frequenter repetitis, secundum ægri vires et ætatem, dari oportet. Utque vermes necatos eliciantur, et stannum in intestinis haud accumuletur, purgante draffico secunda vel tertia quaque die opus est.

Dolichos Pruriens—remedium in Indiâ Occidentali maxime laudatum est; inter nos vero rarius adhibetur, quod convulsiones in nonnullis casibus excitavisse dicitur, ob defectum illius

* Vide ejus "Medical Inquiries."

illius mucī, quo intestina incolarum regionum calidarum obduci feruntur. Sed de hac disceptare nequeo.

NATURÆ haud diversæ, est remedium a pauperioribus in quibusdam Scotiæ locis usurpatum: Crinem ægri minutim sectum et theriacâ admixtum, parvulis vermibus affectis exhibent*.

2do. Ex remediorum chemicorum producta classe, pauca, et usui generali aptiora, seligam. E salibus mediis murias sodæ seu sal communis, magnis laudibus a celeberrimo Doctore Rush effertur. Ipsius verba vide: "I have administered many pounds of common salt coloured with cochineal, in doses of half a drachm, upon an empty stomach in the morning, with great success in destroying worms †."

NATURA

* Aud. Prælect. Doctoris Hamilton, Ar. Ob. Prof.

† Rush's Medical Observations and Inquiries.

NATURA non sine ratione parvulis appetitum indidisse videtur, pro his rebus quæ experientia docuit in vermibus conficiendis, et ne generentur prohibendis, utilia. Horum saccharum, et saccharinæ naturæ multa, exempla præbent. Ut aliquid beneficii ab his accipiamus, pro diæta et copiose, non pro medicamentis, utenda sunt. Succi expressi quorundam vegetabilium acrium et amarorum, ut alii fativi, artemisiæ, absinthii, &c. anthelmintici efficacissimi esse inveniuntur, et in communi usu sunt. Horum vires augeri videntur, si ventriculo vacuo mane committuntur.

Geoffræa Inermis ob vires anthelminthicas bene audit. Doctor Rush syrupum ex illâ præparatum pulveri antefert; vomitionem et purgationem violentam excitare solet, ni primo parvis dosibus detur, quæ gradatim augeantur. Idem auctor ingeniosus scribit, spigelliam marilandicam potentissimum anthelminthicum esse. Convulsiones vero, et etiam mortem, in nonnullis casibus inducit, largis dosibus

bus usurpata * ; ideo, et ob virium incertitudinem, medici Britannici perraro eam præscribunt.

Artemisia Santonica anthelminticum efficax estimatur, et ab hodiernis frequenter usurpata est. Ejus vires ab aliqua dote alia, atque amaritudine pendere videntur, quoniam alia amara non æque efficacia inveniuntur. Largis dosibus, ut ab drachma ad drachmas duas pulveris, bis terve in die dari oportet.

Filix Mas, olim tantis laudibus elatus, præcipue in casibus tæniarum, hodie medicorum omnium neglectum meritum pati videtur.

3tio. REMEDIA ex viribus chemicis et mechanicis composita.

Sub hoc capite collocari oportet purgantia omnia remedia ; et his maxime fidendum est

D ad

* Aud. Prælect. Doct. Hamilton.

ad vermes expellendos. Acerrimis fere opus est, tamen non diu, aut in omnibus casibus, præsertim non in infantibus, his uti convenit; quoniam usus horum diuturnus debilitatem stomacho et intestinis inducit. Ex hac classe usitata sunt submurias hydrargyri et convolvulus jallappa. Submuriatem hydrargyri largis dosibus adhibere oportet, in curandis etiam infantibus, qui majores quantitates ferre observantur, quam pro constitutione, ætate, aut viribus sperare possimus. Compositio ex hoc et jallappa, alterutro solo, aut ullo alio remedio anthelmintico quod scimus, efficacior invenitur, et maxime aptata usui generali. Limatura et rubigo ferri anthelmintica tuta et certa sunt. Ut effectum optatum assequamur, ea dosibus largioribus quam vulgo præscribuntur dare necesse est. Doctor Rush fere dat infantibus inter primum et decimum annum, a granis quinque ad grana triginta, singulo mane; senioribus et adultis doses pari proportionem auctas, etiam ad semunciam continuatam sine intermissione

intermissione tribus quatuorve diebus, mane, non tantum impune, sed cum successu felicissimo.

CONSILIUM SECUNDUM

OMNIA remedia complectitur quæ adhibenda sunt, ne, expulsis veteribus inquilinis, novum vermium examen gignatur. Quantum vero incertudini et conjecturæ hæc indicatio innitatur, manifeste apparebit cuivis animo versanti nostram inscitiam causarum vermium remotarum. Quoniam vero quibusdam placet, horum genituram laxitati intestinorum adscribere, (quam non injuria haud indagando parum), et quoniam remedia quæ hanc laxitatem confirmare possunt, viribus non minoribus in vermibus conficiendis pollent, hæc breviter perstringam. Horum præcipua sunt tonica, ut cinchona officinalis, præparationes ferri, &c. Amara quoque multum profunt. Balneum frigidum,

frigidum et exercitatio eidem classi referenda cum diæta idonea et munditie. Alvi quoque regularitas minutis dosibus rhæi palmati, vel aloes perfoliatæ fervanda.



EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.



